

tissimum semper experturum. Hæc summa literarum fuit; quibus literis sisti aliquantis per Gregorius, ac non nihil de pristino illo animi ardore remittere visus est, atque ad ea, de quibus actitatum antea fuerat, res rediit. 1583

Quapropter graviora tunc animo consilia agitare coepit, opportunam in Amurathem Persico bello occupatum christianorum Principum arma concitandi occasionem ratus, quæ cum jam inde ab illius belli initio meditaretur, Antonium Possevinum in Sarmatiam ac Moschoviam miserat, ut armis decertantes Reges componeret; qui cum in ea re, ut diximus, præclaram operam navasset, in Italiam reversus, Pontificis animum ingenti spe repleverat, testatus, aliorum christianorum Principum mente perspecta, Sarmatam ac Moschum in communem hostem socia arma moturos. Iis confirmatus Gregorius, negotium aggressus, Latino Ursino, summa Cretensis militiæ præfatura a Senatu ornato, Venetas proficiscenti, haud exigua benignitatis argumenta præbuerat: multa de sua in Veneros voluntate, complura de Reipublicæ laudibus adjecerat; iterumque ad se vocato, ut sua Patribus consilia aperiret, præcepit.

*Gregorius
Pontifex
Christianos
Principes
contra Tur-
cas concita-
re nititur.*

Itaque Ursinus cum ad urbem accessisset, Principem Patresque conveniens, exponit: *Ob eas, quæ nonnumquam inter Principes controversiae oriri solent, negotia, in quibus publici boni momenta vertuntur, perverti aut deserì æquum non esse, Gregorium arbitrari: ac sane, si ita obtigerat, ut inter se ac Rempublicam Aquilejenses difficultates adhuc vigerent, e re communi non esse, ut ingentium rerum orsus perturbarentur; neque quod aliquando acerbior in Rempublicam visus fuisset, ob id quidquam de suo in eam studio ac benevolentia imminutum; non secus cum Republica, quam pater cum filio, acturum.* Hæc præfatus adjicit: *Nunquam antea communis obtundendi hostis melius opportuniusque tempus Divina providentia oblatum fuisse; dum gravi ac difficillimo bello in Perside distentus immensam prope auri vim profunderet, ingentes copias amitteret, nervos imperii protereret; a quo bello si aliquando ei respirare, viresque reparare datum fuerit, quis ambigat, non Principibus cunctis, Reipublicæque præsertim, vel propter latissimos fines, vel ob Cretæ longinquitatem, vel ob continentes dissidorum causas, formidolosum fore?* Itaque

*Latinus
Ursinus Se-
natum Pon-
tif. nomine
ad bellum
turicum
bortatur.*